

lium efficacæ præbet, ideo voluntas se determinat. Eademque illationem facit Alvarez, et per tres alias propositiones illam declarat. Unde subinfert concursum Dei ad nostram determinationem non esse determinationem, sed postdeterminationem. Nos autem, quod ad illationem attinet, facile negamus illam causalem sequi ex nostra sententia, quia negamus esse ordinem causalitatis inter influxum liberi arbitrii et gratiæ, seu Dei, idque convincimus ex identitate actionis indivisibilis; sed illæ propositiones causales in rigore affirmant ordinem causalitatis; ergo non solum non sequuntur ex nostra sententia, sed ex illa potius in rigore falsæ esse convincuntur, ut latius probavi lib. 1 de Auxil., c. 15 et 16, et lib. 3, c. 6 et 14. Dico autem illas propositiones causales esse falsas, quia si nota illa causalis non indicat propriam causam, sed necessariam conditionem, vel concursum comitantem, sic verissimum est cooperationem liberam arbitrii necessariam esse, ut gratia efficacæ suum effectum obtineat, quia non juvat Deus nisi eum qui aliquid conatur, ut est Augustini axioma. Et hunc sensum admittit etiam Cabrera in disp. 2, n. 407. Ego vero censeo vitandam esse locutionem, quia in materia gravi, et calumniis ac periculis exposita, oportet eum omni proprietate et rigore loqui. Utendum est ergo verbis significantibus concomitantiam, ut: *Deus non determinat voluntatem, nisi ipsa se determinet; non juvat, nisi ipsa se juvet.*

15. Respondetur ad propositiones quas Alvarez subinfert. — Atque hinc ad propositiones quas Alvarez subinfert, neganda imprimis est illa propositio: *Deus operatur, quia homo operatur*, cum in ipsa operatione hominis Dei operatio includatur. Quid est ergo quod Alvarez refert? *Dixerunt* (inquit) *consequenter, quod licet in eodem prorsus momento temporis et naturæ, Deus et voluntas operari incipiant, tamen Deus operatur, quia voluntas nostra operatur.* Quomodo hæc possunt dici consequenter, cum in verbis citatis aperta contradictio involvatur? Nam si Deus et voluntas nostra, in eodem signo seu momento naturæ, operari incipiunt, impossibilis est illa causalitas, quæ necessario supponit prioritatem naturæ in operatione nostræ voluntatis; sed ideo in hoc allucinantur, quia nolunt distinguere inter hæc duo: *Deus non operatur, nisi voluntate hominis cooperante*; vel: *Deus operatur, quia voluntas hominis operatur*, quæ longissime inter se distant, sicut propositio causalis differt a simplici, seu de inesse. Quod

in omni operatione causæ secundæ suo modo locum habet; nam Deus non concurrat cum sole, nisi ipse illuminet, non tamen concurrat quia illuminat. Et idem defectus committitur in illatione illius propositionis: *Quia homo vult consentire, ideo juvatur.* Quam dicit sequi evidentem ex negatione physicæ prædeterminationis, cum tamen nulla sit ratio vel apparentia illationis, sed tantum abusus verborum. Nullo ergo modo dici potest: *Quia homo vult consentire, ideo adjuvatur*, cum non possit velle consentire sine adiutorio Dei. Dicit ergo debet: Nisi homo velit consentire, non juvatur. Præterea idem est de ultima propositione illata ab eodem auctore: *Quia homo vult converti, ideo gratia excitans transit in adjuvantem seu cooperantem*; nam, cum illa causali nota, est in rigore falsa, quia ipsum velle converti est a gratia adjuvante, et juxta sententiam Molinæ gratia excitans influit in illud velle, non tantum moraliter sed etiam physice, et per illum influxum transit in gratiam adjuvantem; non autem influit gratia excitans quia arbitrium vult, quamvis non influat nisi etiam arbitrium velit. Sicut, quando voluntas operatur ex habitu charitatis, habitus non influit nisi volente arbitrio, non tamen influit habitus quia vult voluntas, non enim præcedit aliquid velle quo voluntas applicet habitum ad agendum, sed proprie dicitur habitus non influere nisi volente arbitrio.

16. Denique eadem ratione non est admitenda ex parte Dei illa causalis locutio: Quia Deus vel gratia influit seu concurrat, ideo liberum arbitrium concurrat; si talis locutio ad actualem seu concomitantem concursum Dei ad extra referatur. Probatur quia intercedit eadem ratio, quia illi influxus Dei, gratiæ, et liberi arbitrii in re non distinguuntur, et ideo non potest esse inter illos vera causalitas. Dico autem: *Si referatur ad influxum comitantem*, quia si sermo sit de præveniente auxilio, seu de vocatione, verissime dicitur: Quia Deus vocat, vel prævenit hominem, ideo vult, vel consentit; nam gratia præveniens est vera causa consensus, licet non excludat cooperationem liberi arbitrii; item, si illa causalis referatur ad voluntatem Dei, quam aliqui vocant concursum seu auxilium ad intra, sic etiam vere dici potest: Quia Deus vult seu præbet concursum, voluntas creata operatur; quia voluntas Dei est vera causa et principium omnis effectus et actionis voluntatis humanæ, et ita non solum æternitate, sed etiam ordine naturæ antecedit, quia per actum immanentem et virtute trans-

euntem influit in ipsum concursum, et hac ratione vera est causalis illa propositio, ad quam non est necessaria prædeterminatio physica, sed vera efficientia physica et simultanea sufficit.

17. Respondetur ad ea quæ Cumel subjungit. — In his vero quæ Cumel subjungit, falsum est Deum præscire prædeterminationem sub conditione futuram antecederet ad influxum gratiæ, vel concursum Dei, neque id potest inferri ex nostra sententia, sed potius contrarium, quia Deus non præscit futurum sive absolute, sive sub conditione, nisi eo modo quo futurum est in utroque illo statu. At vero determinatio libera nec absolute, nec sub conditione futura est antecederet ad influxum gratiæ, vel Dei, sed cum illo, et omnino simul, ut ostensum est; ergo non aliter præscitur futura. Itaque, sicut in præscientia absoluta Deus prævidet determinationem futuram a voluntate cum concursu et gratia Dei illi in tempore danda, ita in præscientia conditionata scit ad quam partem voluntas sit determinanda cum tali concursu et auxilio gratiæ, si illi in tali opportunitate detur aut offeratur, ut illam juvet ad se determinandum, et ita non antecederet, sed concomitanter ad influxum gratiæ prævidetur talis determinatio. At vero in hoc etiam sensu inferri potest, ex nostra sententia, Deum expectare cooperationem nostræ liberæ voluntatis, ut ipse operetur. Sed de hac locutione dicam latius infra, cap. 37; est enim sub illis verbis, et ablata æquivocatione, verissima.

18. Item respondetur ad alia quæ in altero loco Cumel imponit. — Quæ in altero loco Cumel mihi imponit, quatenus attingunt quæstionem de initio salutis, infra in eodem capite tractanda sunt; quoad alia vero rejecta sunt. Quis enim dixit, supposita excitante gratia, liberum arbitrium incipere prius natura conversionem, per quam proxime præparatur ad gratiam? Nam si sit sermo de gratia, id est, de auxilio efficaci vel physice adjuvante, homo non se præparat ad illam gratiam incipiendo conversionem, sed cum illa gratia gratis collata incipit conversionem. Si vero sit sermo de gratia sanctificante, sic verum est hominem per conversionem se præparare ad illam, sed falsum est prius natura incipere talem conversionem, quam per auxilium gratiæ ad illam inchoandam physice juvetur, non prius nec posterius, sed simultaneo concursu. Et aperte repugnantia involvitur, cum dicitur, quia homo voluit consentire prius natura, ideo Deum velle juvare illum simultaneo concursu; nam

simultaneus concursus non datur ad id quod est prius natura, cum a nobis dicatur simultaneus, non tantum tempore, sed etiam natura. Nec aliud tandem colligere potuit ex omnibus locis et verbis meis, quæ ibi citat, nisi vel Deum in consensu simultaneo, non prius natura, prioritatem scilicet causalitatis, operari, quod ego libentissime admitto, vel Deum quoad hunc concursum expectare influxum liberi arbitrii, quod etiam verum et certum iudico. Sed de hoc posteriori puncto in loco citato dicam; de priori vero jam satis est dictum, et demonstratum quam longe sint ab illo principio cætera quæ ex illo male inferuntur. Quorum unum est quod ultimo loco addit, de sufficientia et efficacia auxilii, quod prior sola sit ex Deo, *secunda ex nobis*. Hæc enim posterior pars falsa est, ut dicam capite sequenti, nec sequitur ex dictis, cum arbitrium nihil faciat in ordine supernaturali sine auxilio efficaci, nec det illi efficaciam, sed ab illo potius juvetur. Solum ergo dici potest auxilium efficacæ non operari sine nobis, quod verissimum est, longe tamen diversum.

19. Respondetur ad ea quæ Ledesma inducit. — Ad ea tandem quæ Ledesma induxit, fate-mur nos dicere Deum non prius natura influere per concursum generalem, nec per actualem influxum gratiæ adjuvantem. Cavenda vero sunt verba quibus sæpe ille auctor confuse utitur, concursum confundendo cum prædeterminatione, cum præmotione, ut possit inde concipere lector nos omnem gratiæ præmotionem negare. Distincte ergo loquendo, asserimus Dei gratiam præcedere præmovendo liberum arbitrium, excitando illud, alliciendo ac præparando, non prædeterminando, et quoad hæc præmotio Dei non est simul, sed præcedit tempore quando est tantum sufficiens, vel saltem natura quando est efficacæ modo a nobis declarato. Post hanc vero præmotionem, in illo puncto quo arbitrium determinatur, nullam aliam prædeterminationem vel præmotionem causalem admittimus, sed concursum et influxum simultaneum, ut satis jam declaratum est. Neque Molina aliquid amplius dicit in illo eodem loco, quem Ledesma citat, ut manifeste ostensum est.

20. Ultimo ergo addo tertium dictum quod propositum, videlicet, totam hanc objectionem locum habere in sententia illorum Doctorum, et ab eis eodem modo solvendam esse, si velint consequenter loqui, solumque inter nos relinquere controversiam de auxilio prævio prædeterminante, cum qua omnes istæ illationes et

propositiones nullam habent connexionem. Declaratur assertio. Nam isti auctores admittunt nobiscum esse necessarium auxilium simultaneum imbibitum in actione liberi arbitrii.

21. Neque enim negare possunt, ut eludant, primam causam per se et immediate influere in actionem creaturæ, neque etiam possunt negare quin actio liberi arbitrii, si supernaturalis sit, immediate ac per se sit ab aliquo principio supernaturali et gratuito physice in illam influente. Ergo, loquendo præcise de illo influxu simultaneo, objici eodem modo potest contra illos auctores, quod prius natura influat arbitrium quam gratia, quia hæc non influit prius secundum illum influxum; ergo posterius. Item sequitur Deum concurrere quia voluntas concurrat. Hæc autem non debent nec possunt admitti, in illa sententia, etiam respectu auxilii simultanei, quia nihil intelligi potest fieri a libero arbitrio sine illo simultaneo influxu; ergo necesse est ut etiam fateantur ex negatione prioritatis non inferri affirmationem posterioritatis, quia simultas excludit prioritatem et posterioritatem respectu ejusdem, et secundum eundem ordinem naturæ et causalitatis. Item fateri debent, ex concomitantia necessaria non sequi causalitatem inter concomitantia, quia non agunt solitarie, ut sic dicam, sed concurrente simul; ergo in hoc versatur eadem ratio in utraque opinione. Solum ergo superest quæstio de necessitate prævii concursus ante simultaneum, quæ controversia per hanc objectionem non attingitur, quia sive detur talis præmotio, sive non detur, semper est verum liberum arbitrium in operibus gratiæ nihil posse sine aliqua præmotione, et nullum opus posse agere aut inchoare, sine actuali influxu et concursu Dei proportionato operi voluntatis humanæ, et ejusdem ordinis cum illo. Nihil ergo sententiæ nostræ obstant propositæ objectiones; de aliis vero, ut lectoris fastidium levemus, in capitibus sequentibus, juxta occurrentes occasiones, dicemus.

CAPUT XXIV.

CONCLUDITUR VERA CONCORDIA LIBERTATIS AUXILII CUM EFFICACI AUXILIO, EJUSQUE NECESSITATE IN GRATIÆ OPERIBUS.

1. *Hæc concordia est præcipuus scopus in hac disputatione intentus.* — Hæc concordia in re ipsa jam explicata est; quia vero est præcipuus scopus et fructus in hac disputatione intentus, ideo breviter et clare proponenda est,

et nonnullæ objectiones dissolvendæ, ut per earum solutionem veritas illustrior fiat. Duæ vero sunt, ut sic dicam, partes libertatis, quæ integræ et illæsæ conservari debent secundum fidem, non obstante necessitate auxiliorum gratiæ etiam efficacium, quæ secundum legem ordinariam Dei hominibus dantur. Prior pars libertatis est quoad specificationem, seu contrarietatis, quæ requirit potestatem veram et moralem ad præstandum supernaturalem consensum vocationi, etiam in his hominibus qui vocationi sufficienti non consentiunt. Altera pars libertatis est quoad exercitium, quæ postulat potestatem non consentiendi vocationi, etiam in his hominibus qui vocationi consentiunt, et pro illo eodem instanti pro quo consentiunt, considerato prius natura quam consensus fiat. Quæ omnia satis patent ex dictis supra de libertate.

2. *Necessitas gratiæ efficacis optime convenit cum libertate quoad specificationem. Ratio.* — Dicimus ergo primo necessitatem gratiæ efficacis existentis in vocatione congrua optime convenire, seu in concordiam redigi cum libertate quoad specificationem. Ratio est, quia homo a Deo vocatus habet potestatem proximè sufficientem ad consentiendum si velit, ita ut sine alio præveniēte auxilio, vel prædeterminatione extrinsecus proveniente, possit cum effectu velle et facere id ad quod vocatus est; ergo talis homo, licet cum effectu non consentiat, liber est ad consentiendum. Antecedens probatum hactenus est contra alias sententias. Consequentia vero probatur quia, in illo homine, ordine naturæ præcedit vera potestas consentiendi per principia gratiæ, tam moralia quam physica, et potestas dissentendi per innatam libertatem, ut effectus ipse probat in his qui non consentiunt; ergo in tali homine, prius natura quam dissentiat, est vera libertas ad consentiendum, et consequenter quoad specificationem actus, seu libertas contrarietatis; hæc enim idem sunt.

3. *Eadem ratio aliter formatur.* — Secundo, ad majorem declarationem, eadem ratio aliter formatur, quia homini sufficienter vocato et non consentienti nihil deest ex parte gratiæ necessarium ad consensum, nisi auxilium gratiæ simultaneum, seu concomitans; sed hic defectus non est contrarius libertati; ergo. Major supponitur ex dictis. Minor probatur, quia, licet ille concursus ad extra non detur, esse potest oblatus et paratus ex parte Dei, et de facto ita offertur, quia secundum Scripturas, et promissiones, ac comminationes Dei, per

Deum non stat quominus homo consentiat et velit, postquam vocatus est; ergo id satis est ad libertatem. Probatur consequentia, quia hæc libertas consistit in proxima potestate sufficiente ad utrumque, et consequenter ex parte Dei habente paratum concursum: hoc enim intime imbibitur vel requiritur in proxima et integra potestate, ut supra probatum est; actualis autem concursus simultaneus non requiritur ad potestatem, sed ad usum ejus. Unde in actibus etiam naturalibus idem modus libertatis ad utrumque invenitur: licet in usu et in effectu homo unum tantum concursum ad unum actum, et non ad alium, in se recipiat, tamen, quia hoc ipsum per illum stat, et pendet ab usu libertatis ejus, ideo cum carentia talis concursus stat vera libertas ad eundem actum.

4. *Declaratur.* — Tertio declaratur, quia quod vocatio sit inefficax seu incongrua, non oritur ex Deo, sed ex homine, ut in superioribus probatum est; ergo talis vocatio, quæ in re est incongrua, confert homini potestatem qua liber simpliciter constituitur ad non reddendum vocationem incongruam; ergo incongruitas illa stat cum perfecta libertate ad consentiendum, alias non posset homini imputari, nec esse libera talis inefficacia, seu incongruitas. Et hoc confirmant illæ admonitiones Petri et Pauli: *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis*, 2 Petr. 1; et: *Adjuvantes exhortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, 2 Cor. 6. Essent enim istæ exhortationes vanæ, nisi bonus usus gratiæ vel vocationis esset in proxima potestate recipientis. De quibus et aliis locis plura in capite sequente.

5. *Proponitur difficultas.* — Superest vero difficultas, quia vocatio seu auxilium efficax est simpliciter necessarium ut homo consentiat; sed hæc vocatio non datur homini qui non consentit; ergo deest illi aliquid necessarium ad consensum; ergo non est liber ad consentiendum. Probatur consequentia ex nostris principiis. Primo, quia vocatio congrua est necessaria tanquam unum ex prærequisitis ad operandum; ostendimus enim hoc auxilium efficax esse præmovens, et ordine naturæ antecedens operationem. Secundo, talis vocatio, etiamsi dicatur aliqua ex parte involvere auxilium simultaneum, nihilominus non solum non datur, verum etiam nec offertur a Deo, neque est in potestate hominis habere illam, quia nihil potest homo facere ut illam habeat, ut supra de prædeterminatione physica dice-

bamus. Rationes enim ibi factæ æque hic procedunt, quia nec immediate potest homo in se facere talem vocationem, nec media dispositione libera ad illam se præparare, cum omnis talis dispositio debeat ab aliqua congrua vocatione proficisci. Et confirmatur, nam illud est in nostra potestate, quod est in nostra voluntate, juxta illud Augustini, 1 *Retract.*, cap. 22: *Id est in nostra potestate, quod cum volumus facimus*; sed habere talem vocationem non est situm in nostra voluntate, sed est beneficium omnino gratuitum, nam ratione hujus vocationis potissime dictum est ab Apostolo: *Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis*, juxta sententiam Augustini in *Enchirid.*, c. 32, dicentis: *Quomodo non volentis, etc., nisi quia et ipsa voluntas, ut scriptum est, a Domino præparatur?* Præparatur autem per sanctam et congruam cogitationem, seu vocationem, ut ipse lib. de *Dono persever.*, c. 8, declarat, et in quæst. 2 ad *Simplician.*: *Nisi vocando, inquit, præcedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, ut ex hoc incipiat justificari, et accipiat facultatem bene operandi*; et infra expresse dicit nobis tribui non posse quod vocamur, præsertim illa vocatione quæ congrua dicitur, de qua inquit: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quo aptum erat eis qui secuti sunt vocationem.* Talis ergo vocatio, cui non datur, neque etiam offertur; ergo non est in potestate ejus; ergo neque in libertate; ergo nec effectus talis vocationis est in ejus potestate, aut libertate, cum ad illum sit necessaria talis vocatio, sicut nos contra necessitatem physice prædeterminationis argumentati sumus.

6. *Duo distinguenda ad difficultatem expediendam.* — Ad hanc difficultatem expediendam, et differentiam assignandam inter vocationem congruam et physicam prædeterminationem, duo attente distinguenda sunt. Nam aliud est vocationem, quæ homini de facto datur, esse congruam vel incongruam, aliud vero est quod Deus, præcognoscendo unam vocationem futuram congruam, aliam vero non talem futuram, elegerit unam vel alteram tribuere. Nam manifeste constat posse hoc secundum pendere ex sola Dei voluntate, quamvis primum etiam ex voluntate humana pendeat. Dicendum est ergo utrumque eorum verum esse. Nam, posita in homine sufficiente vocatione, et præcindendo ab omni præcognitione Dei circa futura, est in potestate hominis facere ut illa vocatio Dei congrua sit, quia illi simul offertur auxilium concomitans,